



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica  
Recapitvatio**

**Molanus, Johannes**

**Dvaci, 1616**

Vndeциma Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

Vnde coëpiscopus videtur fuisse, non autem primarius dicti loci præsul.

### Vndecima Septembris.

#### 1<sup>o</sup>. De sancta Vinciana Virgine.

*Ex officio Gandensi, & Nodgeri episcopi historia, quæ exstat ad diem decimam nonam Martij.*

**E**X Hasbania, in portu Ganda, sanctæ VINCIANÆ virginis, quæ cum fratre suo Landoaldo archipresbytero, alijsque nonnullis ex Italia in Galliam Belgicam profecta est, circa annum sexcentesimum trigesimum tertium. Iisdemque quibus potuit modis cooperata est in Christianæ religionis plantatione. Tandem peregrinationis suæ decurso tempore, plena bonis operibus in Winters-houen Hasbania, virgo migravit ad Dominum, anno sexcentesimo quadragesimo tertio. Estque ibi decenter à fratre sepulta. Sed à womaro abbatे, cum beati Landoaldi fratribus, & aliorum reliquijs, translata est Gandaum, ad ecclesiam sancti Bauonis, facientibus ei potestatem, Ioanne Romano Pontifice, Heracio episcopo Leodiensi, & Othone eius nominis Imperatore secundo,

#### 2<sup>o</sup>. De sancto Bodone episcopo.

*Ex catalogo quoddam episcoporum Tullensium.*

**I**Pso die, natalis sancti Bodonis episcopi Tullorum, & confessoris, qui Lugdunum translatus, mira fidelium deuotione veneratur. Editus est in pago Ardennensi, patre Bertaldo & matre Bertilde. Cumque moribus & conuersatione

Bib. 2 probatus

probatus esset, vigesimus secundus factus est Tul-  
lenfis ecclesiæ episcopus, & inter cætera bonitatis  
studia, construxit sanctimonialium monasterium,  
quod usque hodie dicitur sancti Bodonis, & aliud  
duodecim Canonicorum ad flum Murt, &  
tertium in honorem sancti Leodegarij in Osonis  
villa. Consummato autem præsentis sæculi labo-  
re, sepultus est in cœmeterio beati Mansueti.

Et hæc breuiter sunt hoc in loco commemorata, pro-  
pter natale eius solum, quanquam nesciam in qua parte  
Arduennæ sit natus.

### Duodecima Septembris.

#### De sancto Guidone, in Anderlaco.

*Ex historia, tomo quinto Surij edita.*

**A**nderlaci, depositio sancti GVIDONIS confessoris, qui post septennem & laboriosam peregrinationem, hunc locum iuxæ quietis elegit. Vbi sui sacri corporis reliquiae sub frequencia miraculorum frequentantur.

Hic in pago Brabantensi, rugurio rusticano & paupere domo natus, oculis parentum furabatur in primæua ætate certas horas, quibus ecclesiam oratus adiret. Nec hilarem eum illa dies videbat, nisi prius aut orasset, aut eleemosynam protulisset. Ecclesiæ B. Mariæ in Laken, multis annis seruuiuit, velut alter Nepotianus, eam floribus & ramis exornans, omnia in nitore conservans, atque in omnes cæremonias piè solitus. Postea per septem annos peregrinatus est Romam, Ierosolymam, & ad alia sanctorum loca. Vnde Anderlacum reuersus, peste inguinaria, sæculi ærumnas consummavit, sepultus in cœmete-  
rio,

Hierony.  
Hesiodoro  
ep. stor. 2.